

ACADEMIAE ROSTOCHENSIS
PRAELECTIONVM

ACADEMIA ROSTOCHIENSIS

PER SEMESTRE AESTIVUM

A DIE XXL APRILIS AN. MDCCCXXVIII.

HABENDARVM.

LIBRARY

RECTOR ET SENATUS

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

S. P. D.

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS

Duabus profecto de causis iisque honestissimis, Commilitones, artissime coniuncti sumus cum miserrimis illis Graecis, quos intoleranda Barbarorum dominatio crudeliter oppressos quam diutissime tenuit *), nec benignior Fortuna adhuc ita servavit et vindicavit, ut atrocissimae servitutis catenas in perpetuum decussas atque diffractas esse gloriari possemus. Nam et quae vocata esse videatur Religio, quod artissime homines liget et cogat, ut se invicem ament, et quae innumerabilia sunt antiquae Graeciae de nobis merita, qui viam ad humanitatis gloriam ingredimur atque persequimur, ea nos commovent omnia atque adhortantur, ut quoad leges atque praescripta Illorum, quos *ποτ-μενας λαών* maximus Poetarum aptissime appellat, id nobis concedunt atque facultates nostrae permittunt, miseros et afflictos homines eosque Christianos sublevarius, foveamus, consolemur.

Quod cum fiat eo ardentius et intentius et perseverantius, quo maiora et praestantiora et fructuosiora Graecorum maioribus debeamus beneficia; cumque efficiatur, ut nostris curis, nostris vigiliis, nostris laboribus illa cottidiano augeantur, amplificentur et fertiliora reddantur: minime nos, Commilitones Honestissimi, hac litterarum luce, illa veterum Graecorum cognita atque perspecta non humanitate, sed divinitate, minime nos inferiores simus illis, qui *exemplaria Graeca manu diurna atque nocturna versanda* iam dudum susceperint! Effugerunt ~~has vitae miseras et tempestates~~ divini illi Homeri et Pindari, Sophocles et Thucydides, Xenophontes et Platones, Aristoteles et Demosthenes, non ipsi frigore et aestu, non fame et siti, non fuga et terrore vexantur, excruciantur, exanimantur; non ipsorum arva, non arbusta, non aedificia devastantur, extirpantur, comburuntur; non ipsorum filii et filiae et coniuges indagantur, incestantur, trahuntur; non ipsi a perpetuis, immanissimis, abiectissimis non Christiani nominis, sed omnis humanitatis persecutoribus, oppugnantibus, vexatoribus, ab Aegyptiis, ab Arabibus, abs Turcomannis crudelissime atque contumeliosissime rapiuntur, deturpantur, contrucidantur: at ipsorum scripta voce tam intenta, tam diuturna, tam lamentabili clamant ac vociferantur, ut coelum, et terrae et maria contremiscant atque

*) Hacc scribebantur, cum istum Hartischerif, quem die 1 Djemasi al Akhier 1243 emitte suscepit Sultan, acta diurna retulissent. G. S.

conclament : *sublevate miseros : sublevate posteros bene meritorum : sublevate progeniem bene merentium de toto genere humano.*

Quam vocem ut nos quoque intelligamus, Commilitones Humanissimi, qua voce ut nos quoque moveamur ad bene pieque agendum : libros legamus Graecorum tanta diligentia tantaque perseverantia, ut in sanctissima ipsorum veluti penetralia penetremus. Quae penetralia quia sunt sententiarum lumina ac virtutes ; et quia cum ceteris augustissimi templi partibus comparari possunt verborum elegantia atque compositio : nolimus committere, ut sacrilegorum instar in penetralia irruiſſe et neglecta illa minime negligenda verborum cura et sollicitudine vim atque praestantiam sententiarum sublegere velle videamur nefarie ! Nequaquam igitur, nequaquam contemptui esse debebunt quaestiones, quae in eo versentur, ut verborum formam et mensuram, significationem et constructionem cognoscamus. Ne vero contemptum illud Grammaticae nomen Vos deterreat atque propulset a meditationibus utilissimis, atque adeo perquam necessariis, id revolvamus animo, non ipsius vitio, sed hominum male doctorum factum esse, ut male audiat disciplina, quae ut cetera omittamus, efflorescere seque tutari nequeat sine indefessa lectione, sine interiore populorum cognitione, sine illa bonarum artium nutrice atque genitrice — Philosophia.

Itaque vobis proposuimus, Commilitones Humanissimi, cum longior in huius libelli brevitate non cadat, quaestionem brevissimam *de Particula AN*, atque ita, ut viam ostenderemus, quae ducere videretur ad illius *veram et naturalem vim et significationem*.

Duo itinera cum ineunda sint primaria, ut significationem verborum cognoscamus ; — nam auctoritatem Grammaticorum veterum non nimis curabimus, si ambobus illis itineribus confectis ad sententiam pervenerimus probabilem : id nobis agendum visum est, ut huius particulae *originem* reperiremus, deinde *usum* contemplaremur.

Tot habet illa Particula sorores easque tam similes, ut communem illarum matrem, vel nemine praesente atque testante unde genitae sint, haut difficile, si voluerimus, agnoscere queamus. Nam ut omittamus quas alii agnoverunt sorores, *in* Latinorum, *un* et *ohne* Germanorum ; ut silentio transeamus Samscd. *a*, *an*, Particulam Latinorum interrogantem *an*, et quae cognatio et quid discriminis sit inter *an* et *ne*, *anne* et *nonne* et *an non* : nonne I. I. hrius in Glossario Suiogothico s. v. *a* exempla laudavit verborum, quae composita cum Particula *a* vim acceperint negantem ; nonne I. G. Wachterus in Glossario Germanico s. v. *anen* i. e. carere, vocabulum commemoravit *ano*, quod nunc esset *one* ; nonne I. L. Frischius in Vocabulario Germanico et Latino s. v. *an* scripsit, apud antiquiores Germanos *an* fuisse pro *ohn* ; nonne nos, qui in Germania ad Septentrionem vergente habitamus, vel cottidie audire possumus *anmacht* vel *amacht* pro *ohnmacht* ? Sed haec mittamus, ut trans-

B



eamus ad Graecos. Egregie profecto Vir Ille, qui magnam eamque non contemnendam Graecae linguae partem excellentissime pertractavit, Philippus Buttmannus in Lexilogi I. p. 274 Particulam negantem *νή* cum *ἄνευ* comparavit: commemorari tamen potuit suo iure etiam Samscrdamicum et Hebraicum *na*, Moesogothicum *ni*, *nih*, *ne*, Anglosaxonicum *na*, *ne*, *ni* et Germanicum *ne*, quod in dialectis superest, et in compositis *nein*, *nicht*, *nie*, *nirgends*, *niemand* latere videatur. Idemque Vir Doctissimus in eiusdem Lexilogi p. 274 et alterius p. 272 Particulam negantem eamque nullis litteris auctam agnovit in *ἀνάσδρος*, et coniectura invenit originem Praepositionum inseparabilem *ἄνα*, *ἄν*, *ἄ* in adverbio antiquato *ΑΝΑ*. Nam pro Adverbio vel Praepositione, quae vim habeat negantem, cum aliud significet notissima illa Praepositio *ἀνά* (apud Ulphilam *ana*), quamquam fortasse eiusdem originis, ut I. D. a Lennep in Etymolog. ling. Gr. p. 138 verum viderit, usi sunt Graeci illa quasi sorore *ἄνευ*. Quid ergo erit quod impediatur, quo minus illi Particulae, de qua nunc agimus, vim concedamus *negantem*, *privantem*, *tollentem*?

Quod quidem eo minus dubitabimus facere, si originem Particulae *κά* et *κέ*, qua Dores et Iones utuntur pro *ἄν*, paullisper contemplati fuerimus. Qua in re idem praedicandus erit Ph. Buttmannus, quod in Lexilogo I, p. 14 seqq. et p. 301 probabili coniectura invenerit, adverbii Ionici *ἤκα*, Dorici *ἄκα* gradus esse *ἥσσον* et *ἥκιστα*, eiusque significationem *etwas*, *ein wenig*, (*wenig*). Sed addendum erit, hoc ipsum vocabulum, id quod ad nostram causam plurimum faciat aliosque fugisse videatur, extare et detruncatum quidem in Particula *κά* et *κέ*. Quid? quod propter hanc ipsam causam illud *ἄν* censeamus esse particulam *ex parte negantem*, non omnino, ut locum occupet inter Negationes debiles, velut apud Latinos *vix*, *aegre*, *minus*, *quasi*, *veluti*, et, id quod tralaticiis opinionibus prorsus contrarium est, sed ex origine (*aut*) et usu demonstrari poterit, Negativa *haut*. Notissima sunt Graeca eiusdem generis, *μόγισ*, *μόλις*, *σπουδῇ*, *σχολῇ*, *τάχα*, *ταχύ*, *ταχέως*, *ᾧς*, *ᾧσει*, *ᾧσπερ*. Quas Negationes sive *debiles*, sive, cum certos et discretos negandi fines non habeant, *occultas* et *fallaces* appellare possimus, eae profecto sunt paene innumerabiles. Nam quidquid ex parte affirmat, idem ex parte negat; quidquid pronunciat aliud aliud esse simile, idem negat plenam et perfectam paritatem sive convenientiam.

Revertamur hoc invento contenti, ut alteram ingrediamur viam et contemplemur *usum et consuetudinem*. Ante omnia ponimus, quod in dubium vocabit nemo, construi vocabulum *ἄν* cum Modis Verborum; neque construi cum Infinitivo vel Participiis, nisi ubi posita sint pro Modis. Num construatur cum Pronominibus Relativis, Adverbiis et Adiectivis, hoc loco quaerere nihil attinet. Modi Verborum autem cum pro sententiarum *modalitate* (venia sit verbo; laus quartae categoriae inventori immortalis!) nume-

rèntur tres omnino, ut qui *veritatem*, *possibilitatem* et *necessitatem* significant; deinde cum omnis *veritas*, *possibilitas* et *necessitas* aut *objectiva* sit aut *subjectiva* (verborum *puritatem*, ut vocant qui non nimis pure loquuntur, in quaestione de Arte haut anxie curamus) ideoque omnis lingua, quae omnes habeat Modorum Formas, sex habeat necesse sit: carebunt Graeci, quorum acumen admiramur, quod duplicem possibilitatem *Coniunctivo* et *Optativo* explicant, duplicem necessitatem *Gerundivo* (ut *γραφικόν εἶναι*) et *Imperativo*, — carebunt igitur Forma, quae veritatem ipsa ostendat *subjectivam* sive internam. Quam veritatem cum prisci rudesque homines non secrevissent ab *objectiva* sive externa, nec formam finxissent, quae *Indicativo* inserviret *Subjectivo*: posterius illis acutiores et subtiliores si brevissima usi sunt particula, quae partem veritatis negaret, quis inveniri poterit, qui Formam huius Indicativi aegre desideret propriam?

Deinde si homines acutos et subtiles non fugit, aliud alio esse et cogitari possibilius, aliud alio esse et cogitari magis necessarium; si homines urbani, elegantes et concinni quidquid pronunciant, ita temperare solent, ut nemo, quod arroganter et rustice loquantur illacessiti, eos incusare possit; si homines leves, versuti et fallaces ita loqui consueverunt, ut facile alios fallant et circumveniant, ideoque si quid affirmare videntur, id non omnino affirmant, si quid negare, id non omnino negent; si denique homines ingeniosi, agiles et veloces cogitationum subtilitatem et morum urbanitatem quam brevissime significant et fraudem ac mendacia quam occultissime committunt: non erit unquam, cur vehementer miremur, inventum et frequentatum esse a Graecis Particulae usum, quae, cum ex parte neget neque certos negandi fines habeat, vim et significationem Modorum frangendo et debilitando his causis quam aptissime inserviat omnibus. Profecto non sine acerbissimo dolore de hominibus excellentissime meritis, a fide tamen et veritate Germanorum alienissimis minus honorifice iudicavimus: sed obtemperandum fuit voci et praeceptis Historiae, et cogitandum erit, vel fertilissimum agrum non omnibus generandis alendisque seminibus fecundum esse, et Graecos illos (quae sane non exigua laus esse videatur) intelligentiae et eruditionis, sublimitatis et pulchritudinis auctores, existimatores, magistros et quasi propagatores et fuisse et esse et manere, et aliunde ab Divina Providentia esse institutum et benignissime provisum, ut optimis optimae virtutis et exemplis et praeceptis abundaremus.

Quocum Tempore Indicativi quibusque eum Modis Graeci Particulam *ἄν* construxerint, id demonstrari neque hoc loco neque hoc tempore potuit, praesertim cum doctissimi, subtilissimi, verissimi Grammatici vehementer adhuc certent, et hoc argumentum, quoniam multi multum in hac Particula vel addenda vel delenda sibi indulerint, nemo ad umbilicum perducatur, nisi librorum typographorum et manu scriptorum copia perquam adiutus. Nos quidem ex

animi sententia testamur, qui nostram sive opinionem sive scientiam de vocabulo *ἀν* secuti aliquamdiu Graecos legimus scriptores et libros Grammaticos, nusquam vidisse, quod nos convinceret erroris; at nonnunquam intellexisse, aut non emendandos fuisse in hac Particula scriptores, aut non ita interpretandos, ut haec Particula aut redundaret aut desideraretur, aut, id quod visum est Brunckio ad Sophocl. Philoct. 286 ed. Both. et Porsono ad Euripid. Phoeniss. 412, significationem aliquando repetitionis et consuetudinis acciperet.

Duabus igitur Graecorum Negationibus, quarum una rem negat, altera rei cogitationem, ut primus vidit Godofredus Hermannus, Vir ad gloriam huius seculi natus, sideris instar Graeciam et Latium splendidissimo lumine collustrans, — illis igitur addatur tertia, *quae ex parte eaque non satis definita neget et debilitet vim et significationem Modorum*. Multae sunt viae, Commilitones Humanissimi, quae ad veritatem ducant, longae et breves, rectae et flexuosae, planae et confragosae, quascunque inieris amore veritatis inflammatus, viribus et adminiculis idoneis instructus et invicta studii armatus perseverantia, ad finem et terminum pervenies, tardius tamen, quam qui brevem, rectam, planam ingressi viam et persecuti sunt. An nos ingressi et persecuti simus, iudicabunt penes quos est arbitrium.

Iam Vos nomine Patriae carissimae adhortamur, Commilitones Honestissimi, ut scholas eligatis Academicas consiliis consentaneas honestissimis, easque frequentetis bene parati, valde intenti, domi repetentes; deinde ut cum illis veluti publicis studiis coniungere velitis, sine quo excellens atque divina efflorescere non potest eruditio, legendi, meditandi, scribendi laborem et diligentiam. Ruit hora: fluxa sunt gaudia: nihil permanet, nisi quod peregrinus meditatione immortalitatis! Divinam Providentiam animo humili et confidente precati, ut *Patrem Patriae, Maximum nostrae Academiae Statorem, Ipsiusque Domum Augustissimam* optimis bonis ornet, augeat, cumulet, amplificet, nunc beatissimum habemus huius scriptionis terminum, mox initium lectionum Academicarum quam auspiciatissimum. Valete.

Scr. in Academia Rostochiensi Calendis Martiis Anni Salut. MDCCCXXVIII.

PRAELECTIONES
PROFESSORVM PVBLICORVM.

IN FACVLTATE THEOLOGICA.

D. GUSTAVUS FRIDERICUS WIGGERS, *privatim* h. VIII — IX. *introductionem historico criticam in N. T. libros* praeabit et h. IX — X. *historiam dogmatum* enarrabit. *Publice in Seminarii sodalitis catecheticae* praecipiet, et *sodalium homileticas et catecheticas exercitationes*, more consueto, moderabitur.

D. ANT. THEOD. HARTMANN* (Ordin. Theologorum h. t. Decanus) *privatim* hor. VIII — IX. *primam partem cursus exegetici in Vet. Test. biennio absolvendi Pentateuchum* interpretabitur: hor. IX — X. *introductionem historico-criticam in omnes libros Vet. Test.* praeabit. *Publice de Muhammedanismo* uberius exponet religionis christianae et judaeae ratione maxime habita.

IO. PHIL. BAUERMEISTER, Dr., 1) *sexies per hebd. hor. X — XI. cursus exegetici in Nov. Test. partem primam, Evangelia Matthaei, Marci et Lucae* interpretabitur. 2) *Quinques per hebd. hor. XI — XII. dogmaticam christianam* tradet.

D. CAR. FRID. AUG. FRITZSCHE, Theologiae P. P. O., I. *publice* binis dd. h. VII. Horatii Satyrarum librum priorem et h. VIII. Demosthenis Olynthiacam primam interpretabitur *latine*. II. *privatim* quaternis dd. h. VII Theologiam moralem docebit. III. *privatim* quinis dd. h. X. Pauli epistolas majores explicabit et IV. *privatim* quaternis dd. h. XI. Theologiam symbolicam e schedis suis tradet.

IN FACULTATE IURIDICA.

D. FERD. KAEMMERER docebit 1) *jus hereditarium Romanum*, h. IX. privatim; 2) *principia processus criminalis*, observationibus juris Mecklenburgici junctis, duce compendio suo apud Stillerum venali, h. XI. publice; 3) lectiones super *jure Germanico privato*, observationibus juris Mecklenburgici junctis, h. X. habendas, specialiter cupientibus offert.

D. CONRADUS THEODORUS GRUENDLER 1) *publice jus canonicum* tradet, duce *Wiese*, h. III.; *privatim institutiones juris civilis* exponet, duce *Mackeldey*, h. VIII.

D. AUGUSTUS LUDOVICUS DIEMER, publice IV dieb. hor. VII. narrabit *historiam utriusque Megapoleos*; privatim docebit *jus feudorum*, duce *Paetzio*, h. VIII. *jus commerciorum et cambiiorum*, duce *de Martens*, h. IX.

D. FRIDERICUS RASPE, (Ord. Iureconsultorum h. t. Decanus) 1) *principia processus criminalis communis et Megapolitani* tradet, duce *Martin*, h. XI.; 2) *encyclopaediam juris* exponet, duce *Falck*, h. III.; 3) lectiones *juris publici Megapolitani* specialiter cupientibus offert.

D. CHRISTIANUS FRIDERICUS ELVERS 1) privatim docebit hora VIII et XI *Pandectas*; 2) publice de optima *juris civilis* studium tractandi ratione praecepta dabit, hora alio loco indicanda.

IN FACULTATE MEDICA.

D. SAMUEL GOTTLIEB VOGEL, P. P. O., Serenissimi Magni Ducis summo jussu ad dirigendum Balnei marini Doberanensis usum abiturus praelectionibus semestri aestivo habendis non vacabit.

D. JO. GUILIELMUS JOSEPHI, Med. P. P. O. Ordinis Ludoviciani Hassiaci Eques, instante semestri aestivo 1) hor. III—IV. *Chirurgiae primam partem*, hor. XI—XII. *Artis obstetriciae secundam partem* Audituris exponendas offert.

D. HENRICUS SPITTA, P. P. O., Ordinis medici h. t. Decanus, publice de *sanguinis physiologia et pathologia* disseret. Privatim 1) *Pathologiae et Therapiae specialis secundam partem*, morbos chronicos complectentem tradet, quater per hebdomadem, hor. VIII—IX. 2) *Exercitationes clinicas* moderari perget quotidie hor. XII—I. 3) *Medicinam forensem* hor. IV—V. quater per hebdomadem docebit.

D. CAROLUS STREMPPEL, P. P. O., publice quater per hebdomadam hor. II. exercitationes clinicas ophthalmico-chirurgicas moderabitur; privatim docebit 1) quater per hebdomadam hor. VII. Pathologiam et Therapiam specialem morborum acutorum, 2) hor. III. Pathologiam et Therapiam generalem, 3) hor. IV. Materiam medicam.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

P. J. HECKER, Matheseos Prof. P. O. 1) calculi literalis et algebrae praecepta tradet, 2) institutiones analyseos finitorum et infinitorum offert.

FRANCISCUS CHRISTIANUS LAURENTIUS KARSTEN, Oec. P. P. O., per instans aestivum semestre b. c. D. 1) *Agriculturae theoriam*, ad ductum compendii sui: *Die ersten Gründe der Landwirthschaft &c.* 2) *Encyclopaediam cameralem* ad theses a se suppeditandas, docebit. Horas e tabulis indicabit publicis.

GER. PHIL. HENR. NORRMANN, historiar. atque politicar. doctrinar. P. P. O., privatim 1) *historiam regnorum Europae* continuabit; 2) *praecipuorum Europae regnorum statum hodiernum* exponet; *privatissime* vero *oeconomiam politicam* tradet.

I. S. BECK, P. P. O. 1) *Philosophiam moralem*, s. *Jus naturae et Ethicæ* h. VIII—IX.; 2) *Anthropologiam* h. XII—I.; 3) *Mathesin puram* h. III—IV. docebit.

JOH. FRID. PRIES, P. P. O. et Ordinis Philosophorum h. t. Decanus, privatim h. VII. *Encyclopaediam philosophiae* tradet, ad ductum libri: *E. G. Schulze Encyclopaedie der philosophischen Wissenschaften, Goett. 1824*, junctis suis animadversionibus de recta studiorum institutione; h. IX. *Aestheticen* docebit e schedis suis. *Privatissime* *dramata Shakespearis* selecta interpretabitur.

D. GUSTAVUS SARPE, Gr. litt. Professor, 1) *Demosthenis* orat. de corona post ipsius vitam a *Plutarcho* compositam privatim interpretabitur Latine h. IV—V; 2) *Sophoclis Oedip. Tyr.* h. V—VI. *Privatissime* *Diplomaticam Latinam* Latine secundum dictata explicabit; nec deerit *lecturis opera Horatii selecta*.

D. HENR. GUST. FLOERKE, historiae naturae et botanices P. P. O. (Academiae h. t. Rector) I. publice, bis per hebd., conspectum doctrinae de corporibus caelestibus ad dictata propria dabit. II. privatim, quaternis lectionibus, 1) zoologiam, duce *Blumenbachio*, 2) botanicen, (*Voigtii* compendium (Lehrbuch der Botanik, Jen. 1827. 8.) secuturus, docebit, excursionesque instituet botanicas. Dies et horas e tabulis indicabit publicis.

G. MAEHL, P. P. O., hor. VII — VIII. Chemiam analyticam, hor. VIII — IX. Toxicologiam proponet.

ERN. AUG. PHIL. MAHN publice elementa linguae Arabicae docebit. Privatim 1) librum I. Mosis interpretabitur h. III. 2) Encyclopaediam et Methodologiam studii theologici tradet h. XI. 3) h. II. Auditores in legibus Ebraicae linguae grammaticis exercebit. Privatissime Antiquitates biblicas enarrabit h. c.

D. JOANNES RUDOLPHUS SCHROETER, P. P. O., propter valetudinem, qua premitur incommoda, praelectiones semestri aestivo non habebit.

C. FR. QUITTENBAUM, Dr., Professor Medicinae et Chirurgiae extraordinarius, per instans semestre aestivum hora VI — VII. in demonstrationibus anatomicis Osteologiam, Syndesmologiam et Myologiam docebit; horis III — V. Chirurgiae manualis primam partem tradet. Oculorum morbos explicabit hora VII — VIII. Privatissime Repetitorium anatomicum et Cursum operationum chirurgicarum Cupientibus offert.

D. CAROLUS TÜRK, docebit 1) *jus criminale*, duce *Feuerbach*, h. VII; 2) *processum civilem judicarium*, duce *Martin*, h. X. Caeterum offert exercitationes aut repetitorias aut examinatorias.

Dr. FRIDERICVS FRANCKE, philosophiae Professor publicus extraordinarius, I. *Publice* rectam artem sive methodum philosophandi praecipiet, binis per hebdomadem diebus. II. *Privatim* 1) *Logicam* s. dialecticam docebit, quinque p. h. diebus; 2) animi humani naturam legesque inquireret, sive *Anthropologiam psychicam* tradet. Privatissime vero commilitonibus philosophiae amantibus scholas examinatorias vel repetitorias gratuitas offert.

PRAELECTIONES DOCTORVM PRIVATORVM.

T H E O L O G I C A E.

JOANNES MARCUS CONSTANTINUS TARNOW

- 1) Novum Testamentum interpretabitur; adjunctis observationibus practicis, spectantibus ad promotionem sapientiae et sanctitatis omnium hominum.
- 2) Vicissitudines, quas novissimis hisce temporibus Religio Christiana experta est, acri interposito iudicio enarrabit.

I U R I D I C A E.

D. THEOPHILUS HENRICUS FRIDERICUS GAEDCKE

- 1) publice quaternis diebus hor. III. *Gaji institutionum commentarium secundum* interpretabitur; 2) *privatim* octies per hebd. hor. X. aliisque duabus horis adhuc constituendis *juris Romani institutiones historico-dogmaticas* tradet, secundum Roshirtii librum: *Grundlinien des Roemischen Rechts*, Heidelberg 1824; 3) *juris Romani doctrinas de dote et de possessione* ex ipsis fontibus explicabit, hora commoda, quater per hebd. Praeterea de jure pandectarum examinatoria cupientibus suam pollicetur industriam.

M E D I C A E.

GEORGIUS FRIDERICUS MOST, Dr. Med. et Philos., per instans semestre aestivum docebit publice 1) *Medicinam popularem* ad ductum libri sui: „Gesundheit und Krankheit &c. Hannov. 1827.“ Edit. II. bis per hebd. hor. V.; *privatim* 2) *Materiam medicam et chirurgicam*, quater per hebd. hor. VI.

C. KRAUEL, Dr. med., docebit horis adhuc constituendis 1) publice: *artem fascias applicandi*. 2) *Privatim: Akiurgiam*. 3) Nec deerit examinatoria diversarum artis medicae partium cupientibus.

P H I L O S O P H I C A E.

JOANNES MARCUS CONSTANTINUS TARNOW

Jus naturale docebit.

A. C. SIEMSEN docebit: 1) *Mineralogiam universalem*; 2) *Agrostographiam oeconomicam*; 3) *Ichthyologiam Patriae*, et quidem ad ductum compendii, sub titulo „Die Fische Mecklenburgs“, a se editi.

CAROLUS WEINHOLTZ, Dr., privatim 1) *Logicam ex systemate suo*, quaternis per hebd. horis, docebit. 2) *Historiam philosophiae generalem*, quater per hebd., enarrabit.

GEORGIUS NICOLAUS JOANNES BUSCH, Dr., privatim interpretabitur h. IV — V. Taciti historiarum libros, h. V — VI. Euripidis Hippolytum. De syntaxi Graeca disputabit horis indicandis.

Bibliotheca et Museum quouis Mercurii et Saturni die aperiuntur. *Gallicam, Anglicam*, aliasque linguas exoticas addiscendi occasio haud deficit. Adsunt etiam magistri publice constituti, qui artem *equitandi, pingendi et Musicam* docent. Rei herbariae studiosi iisque nomen professis apud inspectorem cottidie aperiuntur horti Academiae herbarii.